



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XLI. Orba confessa sacrilegium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

XXXIX.

Morietur antequam nubat.

VENEFICII SIT ACTIO. Adolecens petit nuptias virginis à patre: pater virginis ad uxorem rerulit. illa respondit: Ante morietur quam illi nubat. Pater eidem adolescenti despondit, & diem nuptiis dixit. Intra diem puella obiit dubiis signis cruditatis & veneni. quæstionem cum de familia pater haberet, ex ancillis una confessa est adulterium cum illo juvene matris intercessisse. pater accusat veneficii matrem.

CONTRA MATREM.

QUÆRITUR, filiam cruditate an veneno interfeceris. Nam & cruditas virginis, crimen est matris. Morietur, antequam nubat: & mortua est. O impiam divinationem, vel potius denuntiationem! O infelix puella! ego tibi parabam nuptias, mater exequias! placuit in te sponso tuo similitudo materna. Ego te fateor, occidi, dum cum matre contendo.

X L.

Rapta, ab ephebo stuprata.

RAPTARUM LEX. Rapuit quidam virginem, & ephebo, quem amabat, tradidit stuprandam: rapta ad magistratus producta, mortem ephebi petit: offert se ille, qui rapuit.

PRO RAPTORE.

EGO, iudices, rapui: ego domum duxi, ego pariter inclusi, ego vim duobus feci. Perire mihi satius est, quam hunc videre pereuntem. Callide, puella, commenta es. Unum petis, ut duos pariter occidas.

X L I.

Orba confessa sacrilegium.

MAGISTRATUS DE CONFESSO SUMAT SUPPLICIUM. DE INJUSTO SUPPLICIO TRIBUNOS APPELLARE LICEAT. Quæ quatuor liberos habebat, amissis tribus, & marito, detracta est à filio, cum laqueum induisset. Sacrilegium in civitate commissum est. Adiit ipsa magistratum, & dixit à se factum: vult de illa supplicium sumere. Appellat pro ea filius tribunos de injusto supplicio: C. D.

PRO FILIO.

SUBITO Fortuna, sicut solet, ipsa suis muneribus invidit. Alius, inquit, pro alio agere non potest. Alius est ergo,

[Callide puella conventa est.] Legendum potius, commenta es. Pith.